solitudine, quae (B) exusta solis ardoribus horridis monachis praestat habitaculum, putabam me interesse romanis deliciis et adesse choreis puellarum. In hoc loco beatus vir continue flebat, et carnem obedientiae inedia subjugabat, die ac nocte pectus verberabat, et sibi iratus et rigidus deserta penetrabat, et socius ferarum et scorpionum erat. Porro in hoc sancto loco decreveramus, quando mane de Jerusalem exivimus, pernoctare, et circumeuntes in ipsis aedificiis et ruinis non invenimus quiescendi locum, nec extra muros in campo manere potuimus propter loci immunditiam. Vidimus enim innumerabilem multitudinem magnarum vespertilionum circumvolantium, quia sol occubuerat, et noctis diluculum erat. Dicebatur autem nobis, quod essent multae alterius speciei vespertiliones majores, omnibus in modis sicut columbae, quae in plenis tenebris circumvolent, insidientur singulariter hominibus et impetuose se ingerant in hominis vultum, aperto ore et dentibus apprehendant hominis nasum, quo in ictu oculi amputato avolent capta illa praeda. Habentes longos nasos sunt in majori periculo. Haec autem audientes diligentius nos observavimus, manu nasum tegentes. Audivimus etiam sibilos multorum serpentum de cavernis murorum exeuntium ad pastum. Locus etiam extra muros, in quo stabamus, ut in eo onera deponeremus, erat repletus foraminibus vermium et scorpionum. Insuper de mari mortuo nobis propinquo exhalabant soliti foetores, quos per noctem sustinere videbatur nobis intolerabile. Sed et ipsos Beduinos Arabes et Madianitas timuimus, ne forte supervenientes nocte nos tribularent. Et his de causis resumsimus asinos, quibus ascensis mari mortuo dorsum dedimus, et in tenebris contra montes Israel processimus per lata et taediosa campestria, in quibus non complacuit nobis manere, sed ad montana Israel festinavimus. Ad radices ergo montium cum venissemus, vallem quandam umbrosam intravimus et per crepidinem in alta conscendimus et ad tutissima loca Enggadi pervenimus paulo ante noctis medium, et invento loco apto bestias famulis nostris resignavimus et consedentes de sacculis nostris reliquias produximus et refecti sumus, et in eo loco, quo quilibet sederat ad comedendum, ibi sibi accepit locum ad dormiendum, et

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;